



POSITIONES

EX TOTO CVR-  
SV PERIPATETICO  
DE PROMTÆ.


QVAS

AD V. NONAS JULIAS,

IN PVBLICA LVCE FLORENTIS ACADE-  
MIÆ JNGOLSTADIENSIS PROPVGNABVNT

DVO E SOCIETATE IESV  
RELIGIOSI, PHILOSOPHIÆ STUDIOSI.

Anno Christi nati, M. DC. XX.



Univ. Bibl.  
München

JNGOESTADII, FORMIS GREGORII HENLIN.

JESU CHRISTO SAPIENTIÆ FONTI  
MAGNÆ PARENTI, Mariæ VIRGINI, SAPIENTIÆ SEDI.

AC B. ALOYSIO GONZAGÆ, VERÆ SAPIENTIÆ SECTATORI  
PHILOSOPHICOS HOSCE MANIPVLOS SOCII, FILII, FRATRES  
Infirmi DD.

EX LOGICA

PRIMA POSITIO.

**L**ogica est vera & proprie dicta scientia, simpliciter practica, non nihil etiã speculativa, cuius obiecta adæquatam attributionis sunt operationes mentis talis rectitudinæ affectæ, quæ constituuntur in instrumenta cognoscendi ignotum per notius, instrumenta vero eiusmodi tria sunt in genere, definitio, nomen, & argumentatio: Est etiã vera Philosophia pars, & ad reliquas scientias totales simpliciter moraliter necessaria: Docens & utens uti secundum rem distinctos habitum non constituunt, ita minus aliis scientiis utentis Logica nomen attribuitur.

1. Universale fit primum ab intellectu possibili abstrahente unum ab alio, & licet naturis rerum specificis, & genericis insit à parte rei unitas formalis, quæ plura eiusdem speciei individua, vel eiusdem generis species sint unum formaliter, ea tamen ad universale constituendum non sufficit, cum & præ ad differentiis contrahentibus esse debeat, & unitatem habere aptitudinem, seu non repugnantiam pluribus inessendi, quod utrumq; sortitur beneficio intellectus, neq; tamen universale formaliter simpliciter ens rationis. Quinq; in communi numerantur universales species, quibus omnibus ratio universalitatis univoca inest: natura universalis per actualem de inferiori prædicationem non amittit universalitatem.

2. Analogæ dantur tam attributionis, quam proportionalitatis propria & impropria. Decem sunt prædicamenta realiter primo inter se diversa, in quibus res ipse vocibus & conceptibus substantes reponuntur: substantiæ quidem ut concretis, accidentiæ vero ut abstractis nominibus significantur, utraq; secundum superiores gradus, quam individuos. Ens in prædicamentis per se ponibile reale, positum unum per se, finitum, completum, & incomplexum sit oportet.

3. Prædicamentum substantiæ constituit ens per se subsistens, in quo etiã Angeli, Cæli, & Christi quatenus homo reponuntur: Quantitatis categoriam constituit ens per se extensum permanens, quod solum agnoscit species, lineam, superficiem, & corpus: Qualitatis ens accidentale superadditum substantiæ primo & per se ad complementum perfectionis eius tam in existendo, quam in operando: actionis & passionis modorum realiter ab invicem distinctorum, tam substantiales, quam accidentales, materialis & immateriales.

4. Situs, ubi, habere, & quando sunt modi variè substantiam, vel etiã aliam rem intrinsecè determinantes: ad aliquid constituit omnis relatio prædicamentalis, subiecto & fundamento realiter superaddita, ab eoque modaliter distincta, referens id ad aliquid, quod se mere habeat ut terminus, actu ens, re distinctum, & ut quid absolutum, ad cuius multiplicationem & ipsa multiplicatur: omnium prædicamentorum entia possunt esse fundamenta alicuius relationis, si relationem ipsam excipias: Trãscendentis relatio subiecti sui essentiam, & consequenter categoriam ingreditur.

5. Omne signum involuit respectum duplicem, ad potentiam scilicet, & rem significatam, in quo consistit eius formalis ratio, licet in naturalibus sit realis transcendentalis, in signis ex instituto solius rationis: voces sunt signa ex instituto, & significant conceptus rebus mediis: Verbum infinitum in enunciatione affirmativa tale manere potest: vocula Est in omni enunciatione proprie dicti perbi partes agit, estq; pars ipsius enunciationis.

6. Mentalis enunciatio iudicativa, si accipiat secundum ea omnia quæ ad illam concurrunt, plures involuit conceptus, si vero secundum ultimam rationem tantum, tum est una simplex qualitas: Pro differentia essentiali dicit conjunctionem prædicati cum subiecto per affirmationem, vel negationem copulæ verbalis, unde sequitur veritas, aut falsitas: semel vera respectu eiusdem falsa esse non potest, nec e contra: altera contradicentium de futuro contingenti determinatè vera est, vel falsa: in prima operatione mentis non datur proprie falsitas.

7. Consequentia etiã, siue discursus secundum formalem suam rationem est una simplex qualitas, licet ab illa plures connotentur distinctæ operationes iudicativæ, non tamen necessario tempore ante elicitæ: Conclusio est de essentia syllogismi sequens præmissas moraliter solum, & necessario quoad specificationem actus, & ex ijs partem debiliorem: Solus syllogismus est formalis argumentatio, additis quibusdam inductionibus: Tres sunt figurae syllogismorum, quarum posteriores indirectè non concludunt.

8. Scientia datur effectus demonstrationis tam quia, quam propter quid; hæc requirit præmissas veras, immediatas, priores & notiores natura, causasq; conclusionis in essendo, & cognoscendo, proximas, vel remotas sed adæquatas, convertibiles, & actuales, respectu passionis demonstrandæ extrinsecas, necessarias, de omni, per se, & universales: non datur perfectus circulus in demonstratione, sed imperfectus: Definitio medium est potissima demonstratio, quæ etiã scientia, non tamè demonstratione est nobilior.

9. Habitus intellectus naturales quibus verum attingitur numero quinque, sunt qualitates essentialiter inter se distinctæ, intellectui realiter superadditæ, quæ per actus effectivè acquiruntur, & intenduntur, suosq; actus quoad unitatem produciunt, & per solos actus contrarios corrumpuntur, potest autem unicus actus sufficere ad habitum stabilem obtinendum: practicum, & speculativum sunt differentie scientiæ divisiæ essentialis; totalis scientia non est una simplex qualitas, sed ex pluribus aggregata.

EX PHYSICA

10. Physica est scientia speculativa corporis naturalis ut naturalis, in suppositione absoluta acceptæ, cuius principia in fieri sunt tria, in facto esse duo; materia est pura potentia subiectiva, ex essentia sua ordinata ad recipiendas omnes formas substantiales, ad quas innatum habet appetitum, extendentem se etiã ad formas iam corruptas; existentiam habet propriam, ingenerabilem, & incorruptibilem; una specie est in omnibus corporibus naturalibus, & pars essentialis compositi physici, toties numericè multiplicata, quoties divisa.

11. Privatio remota non est principium per se generationis naturalis, sed proxima, quæ in se spectata non est ens rationis, & principiat actu in instanti generationis, ante quod immediate adfuit: Datur forme substantialis pars quidditatis compositi physici præcipua, materialis omni substantialis, & accidentalis de facto è potentia materia esteducta, posset tamen omnis creari, ut & ipsum compositum formaliter etiã, quod tale constituitur per modum realem unionis, unicum, materialem, superadditum materiae & formæ, & distinguitur à suis partibus unitis sola ratione.

12. Naturæ ratio, materia, & formæ, tam sublunarium, quam cælorum analogicè, ipsi quoq; anima rationali etiã qua tali convenit. Causa est principium per se influens esse diversum in aliud, quatuor

sunt causarum genera? Causa materialis causalitas est passio, modus emanans ab ipsa materia; Formalis informatio respectu cuiuscunque effectus; efficientis actio, quæ recipitur in termino; finalis amor effectus, seu intentio mediorum ad finem.

24. Deus ut causa universalis concurrat ad omnem actionem creatura: ut huius, vel illius speciei actione, quatenus causa universalis eliciat, à creatura determinatur, ipse verò priore determinatione supposita creaturæ ad hanc, vel illam numero actionem determinat. Accidentia possunt esse cause instrumentales substantiæ, in ordine ad producendam substantiam immediate, non attingente interim immediate illum effectum substantiæ; præstare verò hoc possunt solum accidentia quæ sunt in passo, ex quo forma substantialis debet produci: Idem effectus potest naturaliter à pluribus causis totalibus diuisim, supernaturaliter etiam simul procedere.

25. Locus est superficies corporis continentis prima, & immobilis; Vbi verò est modus realis formalitè constituens rem præsentem in spatio, & terminans per se motum localem: per absolutam DEI potentiam possunt plura corpora simul in eodem loco constitui, & unum corpus etiam simul in pluribus locis adequatis, non tamen naturaliter: replicato corpori non conuenirent necessario eadem ubiq; accidentia.

26. In vacuo per solam DEI potentiam possibili, posset corpus nulli alteri contiguum naturaliter moueri non tamen motu progressiuo, nec in instanti: Motus proprie dictus est successiua & continua forma acquisitiua, distincta realiter à mobili, actione, & termino ad quem, à quo desumit suam specificationem; variatantum per se datur prædicamenta, quantitatem, qualitatem, & ubi: eius duratio intrinseca est tempus, essentialiter spectatum ens reale & successiuum, modaliter ab ipso motu eiusque existentia distinctum.

27. Infinitum actu nec in multitudine, nec magnitudine est possibile. Quantitatis essentia consistit in extensione aptitudinali in ordine ad locum cum impenetrabilitate, distinguitur realiter strictè à materia, immediate inest, reliqua verò accidentia materialia absoluta plerq; immediate insunt in ipsa: Non datur in continuo partes actu inter se distinctæ, vni nec indiuisibilia copulantiæ, terminantium de facto datur sola superficies, ens reale positiuum, strictè realiter à corpore terminato distinctum, ipse per modum liquorem unionis conuinctum, & in superficie materia receptum.

28. Mundus ab æterno potuit produci quoad entia permanentia, non tamen quoad successiua. Cælum est corpus simplex diuersæ essentia à quatuor elementis, constans materia eadem cum sublimaribus, solidum corruptibile radicaliter, per accidens incorruptibile, viuente quouis ignobilius, cuius generationem nunquam potest attingere tanquam causa principalis, nobilior verò corporibus reliquis, non solum per lucem & calorem, sed etiam qualitates alias innominatas agit in sublimaria.

29. Numerus Elementorum est quaternarius, quorum ignis concavo Luna proximum locum tenet, aqua & terra medium vniuersi: Elementa grauiora, & leuia suorum motuum sunt cause & quidem aliquo modo principales, grauiant & leuiant quamdiu non sunt in loco perfectè naturali: ea quæ secundum quid grauiora, vel leuiora sunt, aliquid contrariæ qualitatis admixtum habent.

30. Produciuntur qualitates motrices à primis qualitibus, præsuppositis quibusdã secundis, v. g. densitate, &c. essentialiter sunt inter se diuersæ grauitas, & leuitas; impulsus verò carens contrario, qui proiecta mouentur, produciuntur à proijciente, mediante potentia loco motiua, vel grauitate, aut leuitate: impulsus motus in medio, grauius verò, & leuius naturalis in fine est velocior: motus resiliens per se produciuntur à proijciente; mobile proiectum in puncto reflexionis non quiescit quiete priuatiua necessario.

31. Generatio substantialis, quam desinit Aristoteles mutationem totius in totum nullo sensibili remanente

nente ut subiecto eodem, est actio vera, per se instantanea, distincta ab alteratione præuisa, & educatione forma substantialis; consistit essentialiter in vniotione formæ cum materia, incipit & desinit intrinsece, vti & ea omnia quæ in instanti producuntur, aut corrumpuntur, nisi ad illorum corruptionem causandam quid instantaneè producat; quæ verò successiue fiunt, incipiunt & desinant extrinsece.

22. Corruptio substantialis est mutatio negatiua totius in non totum, siue unionis destructio in composito: Corruptio vnius naturaliter est generatio alterius, & contra, mediate vel immediate: in corruptione substantiali non fit resolutio vsq; ad materiam primam quoad formas accidentiales, nec semper immediate quoad substantiales, ut patet in interitu viuentium, post quem sæpe relinquuntur forma partiales: naturaliter res eadem reproduci non potest, potest tamen supernaturaliter.

23. Alteratio tam perfectiua, quam corruptiua, successiua esse patet & continua, secundum intensiorem & extensionem, nõ tamen est talis essentialiter: intensio fit per additionem gradus qualitatis ad præ-existentm gradum in eadem parte subiecti, eiusdem rationis, & æqualitatis in perfectione individuali, per quam magis, ac magis quoad actiuitatem perficitur: Rarefactionem sequitur naturaliter inuariata quantitate maior extensio localis, ob adiunctum motum localem partes imaginabiles à se inuicem diuidentem, condensationem minor extensio.

24. Actio specificam rationem desinit à termino, genericam ab agente, ad utrumq; relationem dicit essentialis, est enim actus agentis, quatenus agens est, passio verò actus patientis quatenus patiens est: ampris actio habet subiectum aliquod, seu inhesionis, seu adhesionis: non datur actio in instans siue intra, siue extra spheram actiuitatis: actio anti-peristatica fit vel ab inclusis halitibus, vel ab intrinseco exclusis ipsidem.

25. Eiusdem in seipsum non datur vnioca actio directa, secundum partem eandem, nec similis secundum qualitatis gradum in sibi simile, est secundum densitatem, & magnitudinem sit dissimile; datur actio & reactio inter agentia contraria debite applicata, utroq; existente in actu ad operandum, & in potentia ad patiendum, secundum eandem partem & contrarietatem, per se & in eodem tempore.

26. Elementorum primæ qualitates sunt quatuor, quarum vnã quodlibet excigit habere in summo, vnãq; in excellenti, cū contrariæ admixtione: calor elementaris est eiusdẽ speciei cum cœlesti, & animalis, diuersa à virtuali: quodlibet elementum è quolibet immediate progigni potest, facilius tamen è symbolico; non potest ex duobus symbolicis inter se agentibus & corruptis, tertium generari specie diuersum, potest tamen ex duobus a symbolicis corrupto altero tantum, vel utroque.

27. Mixtio inuoluit essentialiter unionem miscibilium inter se, & unionem formæ mixti cum materia, per quam causatur mixtum ab aliquo individuo eiusdẽ speciei, operante per qualitates ita temperatas, tanquam instrumentum, & virtutem sibi debitam: elementa inuent tantum virtualiter in mixto: temperamentum est ipsa qualitatum primarum certa permixtia; probabile est de facto dari æquale quoad existiam, posseque dari per naturam quoad pondus in toto mixto homogeneo.

28. Vapor & exhalatio sunt potissimum meteororum materia, efficiens sol, cælum, & elementa: cometa possunt esse sublimares, & cœlestes: fulmen & fulgur sunt exhalationes accensa in nube densa media regionis aëris, magna vi & impetu excussa, differunt densitate inter se, & spatij quo protruduntur longitudine: tonitruum & sonus ex concussione vel nubium inter se, vel exhalationum ad nubem frigidam, non necessario iungitur cum fulgure, nec contra: Ventus est halitus liber circa terram agitatus, qui à frigore secunde regionis aëris, & siderum influxu obliquè repercutitur.

29. Lucida & apparentia meteorum fiunt ex varia lucis permixtione, non differunt inter se specie, vti nec aqua cum aquis, aut aërea cum aëre comparata, nisi reduplicatiue secundum qualitates diuersas accipiuntur:

cipiantur: sal sedo maris, quæ maximè apparet in superficie, provenit ab exhalationibus adustis: Aëstus maris potissimum causatur à luna: flumina, & fontes perennes potissimum ex mari trahunt originem, varias autem affectiones, & qualitates imbibunt in meatibus, quos percurrunt.

30. Anima est actus corporis organici potentia vitam habentis: animarum tria sunt genera, animarum quatuor; sola rationalis anima indivisibilis est; materia tamen divisibili per unionem divisibilem conjuncta: vivens unum unica constat anima, nec opus est ut anima sensitiva, aut rationalis introductionem precedant alia quadam anima imperfectiores, quæ denuo discedant adveniente anima perfectiore.

31. Ex partibus corporis organici in animali primaria dignitas cordi tribui potest, & cerebro; quatuor humores specie inter se distincti generantur in hepate, ex quo in sua quique vasa fluunt, licet etiam reliquorum aliqua cum sanguine in venis permisceantur, solus tamen sanguis tam venalis, quam arterialis nutrit proxime; nullus ex ijs vivit, sicut nec ea, quæ ab ipsis essentialiter non differunt, vivunt tamen cerebrum, cuticula, pili, ungues, dentes, & similia quadam.

32. Potentia animastica realiter inter se, & ab anima differunt, quarum genera in communi quinque, speciem suam, & distinctionem essentialem intrinsicam desumunt ab habitu dine ad actus & obiecta, formaliter & adæquate sub certa ratione formali sub qua considerata; procedunt effectivè à sola anima, & recipiuntur in eadem si sint spirituales, si verò materiales & organica in ipso corpore, in certo quavis organo præter nutritivam, & augmentativam, quæ per totum corpus funduntur.

33. Anima vegetativa potentia principales tres assignantur, famulantes quinque, quæ à nutritiva vix differunt, ut & generativa, cum ultimam obiectum idem habeant; distinguitur tamen nutritiva tam à calore, & temperamento, quam à potentia augmentativa, hæc enim versatur circa quantitatem viendam, illa circa substantiam, estq; diversa in diversis specie viventibus: nutritio fit per intus susceptionem respectu totius viventis, & conversionem alimenti in substantiam aliti: ad generationem nascitur alem hominis tam paternum, quam maternum semen activè concurrunt: augmentatio quæ successiva esse potest, & non esse, fit secundum omnes viventis partes, saltem heterogeneas.

34. Sentientis anima triplex est potentia, cognoscens, appetens, & loco motrix; hæc residet in nervis & musculis, efficiens motum progressivum instinctu appetitus sensitivi, qui appetitus est potentia sensitiva prosequens bonum, malum fugiens per sensum apprehensum: sensus sunt activi simul, & passivi, quorum obiectum per se est accidens sensibile, quod indivisibiliter, vel omnino non existens in naturali percipi non potest, potest autem virtute supernaturali: non datur error circa illud, sub communi & adæquata ratione spectatum, licet detur circa spectatum sub inadequata ratione.

35. Sensus externi sunt tantum quinque, hi ad operationum suarum exercitium indigent speciebus ab obiecto productis, & in conservari ab eo dependentibus, quæ sint virtuales, & aliquo modo formales imagines, divisibiles ratione subiecti, obiecti, & intensiois, quorum partes omnes secundum obiectivam extensionem sese inuicem penetrant in eodem subiecto, earum verò intensio per medium decrevit uniformiter, difformiter.

36. Quinque sunt sensibilia communia, è quibus aliqua speciem sensibilis proprii modificant: obiectum potentie visive directum est color, & lux, actum suum in tunica retina exercet: Auditiva potentia in aëre innato residens à sono tanquam proprio obiecto immutatur; olfactiva in processibus mammillaribus odorem; gustativa in nervis linguae, gula, palati mollioribus saporem percipit, differt gustativa à tactiva, ut & sapor ab odore: tactio præcipue in nervis circa primas qualitates, & quasdam secundas peragitur, ad quam non opus est, ut simul realiter immutetur organum.

37. Sensus

37. Sensus interni moventur per speciem ab expressa specie sensus externi productam, quæ per spiritus vitales ad cerebrum, sensuum internorum organum devehitur: Sensus communis à memoria sensitiva, & phantasia re non differt, cum illius officium sit percipere obiecta externorum sensuum, & eorum sensationes per distinctas species, memoriæ species eiusmodi retinere, phantasia per easdem eadem, sed absentia cognoscere, & coniungere diversa specie; distinguitur ab his realiter estimativa, eo quod & per alias species, & circa aliud formaliter obiectum, res scilicet convenientes, vel disconvenientes quæ tales veretur.

38. Anima rationalis est spiritalis, & immortalis, duabus instructa dum est in corpore re distinctis potentijs, voluntate scilicet, & intellectu, nam memoria, quæ speciem intelligibilem receptam conservat ab intellectu non distinguitur; intellectus cuius obiectum terminativum est ens univerialissimè sumptum duplex est agens, & patiens, ille pro speciei intelligibilis effectione, ad quam etiam imaginatio concurrat solum ut conditio sine qua non pro hoc statu, hic pro receptione eiusdem, & una cum illa intellectione producenda necessariis, distinguuntur inter se probabiliter realiter: una anima rationalis altera non est perfectior individuali, & substantiali perfectione.

39. Singularium tantum, & per se sensibilibus accidentium species propria dantur in hac vita: intellectio consistit formaliter in viva rei intellectæ imagine, quæ verbum mentis dicitur, ab intellectu vitaliter expressa per actionem propriè dictam, & realiter distinctam ab illo termino, quæ actio etiam est conditio, sine qua non ille terminus verè facit intelligentem: terminus hic, sicut & illi, qui per sensationes producuntur, possunt à solo Deo produci, non tamen eatenus quatenus sunt effectus vitales.

40. Voluntas intellectu ignobilior, & ab eo in suis operationibus aliquo modo dependens, est potentia spiritalis circa bonum ab intellectu propositum, versans actu prosecutionis, circa malum actu fugæ, hoc ut tale amare nequit, nec illud ut tale fugere; movet potentias sibi subordinatas solum moraliter: libertas intellectui formaliter non attribuitur, sed voluntati, non quoad specificationem actus, sed quoad exercitium, posito quod intellectus obiectum cum indifferentia, & deliberatione aliqua proponat, non est facultas ab ipsa voluntate distincta, neq; per distinctum actum ab eo quem elicit, se determinat ad agendum.

## EX METAPHYSICA.

41. Præstantissima scientiarum naturalium est Metaphysica, per antonomasiam philosophia dicta, cuius obiectum adæquatum formale quod est ens reale in communi quatenus tale, abstrahens à materia sensibili & intelligibili; partiale principale Deus: Entis conceptus formalis re unus est in quocumq; intellectu, præcisus ab omnibus membrorum conceptibus, ratione tamen solum secundum quid unus & præcisus, non simpliciter, ut & obiectivus eius conceptus.

42. Ens in communi est id, quod esse vel existere potest, dicitq; formaliter, si substantivè sumatur, essentialitè, si adiectivè existentiam, hinc essentia, & existentia entis dicuntur principia, subsistentia verò & inherencia habent se ad ens veluti differentia contrahentes, eius verò passionibus simplicibus tres potissimè assignantur, scilicet unum, verum, bonum, quæ quodam sensu reales dici queunt, licet enti nihil superaddant reale positivum: Ens non dicitur univoce de Deo & creaturis, nec de substantia & accidente, uti nec ipsum accidens de novem predicamentis sibi subordinatis.

43. Ante omnem intellectus operationem distinguuntur gradus essentialitè in linea predicamentali ex natura rei: existentia prout est affectio entis in communi est actualitas, seu perfectio naturæ, quæ actu in rebus constituitur, substantialis vel accidentalitè pro ratione naturæ quæ actuatur, DEO essentialitè est, à quo sola

sola ratione distinguitur, non item creaturis, à quarum essentia distinguitur modaliter, non tamen emanat ab ea ut proprietates, sed producitur ab extrinseco: res ex se antequam producantur, solum negativè sunt possibiles.

44. Principium individuationis in rebus creatis est gradus metaphysicus differentialis, ex natura rei distinctus ab essentia, per quem natura & essentia ex se communicabilis multis, & indifferens ad hoc, vel illud inferius contrahitur, & determinatur, ut quasi fiat indivisibilis, & incommunicabilis pluribus secundum eam naturam multiplicatis: compositis hæcceitas physici constat ex partialibus partium actu inexistentium hæcceitatibus.

45. Inherentia actualis est modus realis distinctus, quo mediante accidens dependet ab alio diversi generis, ut causa materiali, aptitudinalis non differt ab accidentis essentia, uti nec adherentia ab essentia accidentium cum ea existentium: inherentia in communi opponitur modus existendi independenter ab alio ut subiecto, aut termino, qui latius loquendo subsistentia dici potest, potest q. hic modus accidentibus absolute tribui, non potest autem subsistentia proprie dicta, cum illa tantum conveniat substantiis.

46. Igitur subsistentia proprie dicta (si creata sit) est modus efficiens formaliter essentiam independentem ab alio, ut supposito, illiq. ut tali incommunicabilem, constituit intrinsecè suppositum, differtq. realiter modaliter ab essentia existente, à qua probabiliter effectivè producitur, potestq. probabiliter substantia spoliata omni subsistentia per absolutam DEI potentiam existere.

47. Corporum naturalium subsistentia divisibilis est, & composita ex partialibus materia, & forma: forma materialis subsistentia superadditur, & coniungitur subsistentia materia, tanquam ipsius complementum, adheret verò & intimè coniungitur ipsi forma: subsistentia increata re non distinguitur à ipso Deo; ad cuius maiorem gloriam hæc sint proposita.

---

Has ex vniuersa Philosophia collectas Theses, quia Fidei orthodoxæ consonant, bonisque moribus non repugnant, luce atq; discussione publica dignissimas iudico.

Leo Menzelius S. Theol. Doct. Prof. Facultatis præ  
tempore Decanus & Vniuersitatis Rector, &c.

---

Ista de Vniuersa Philosophia Disputatio luce & propositione publica omnino digna est.

Ioan. Baptista Cysatus Societ. Iesu Matheos Pro  
fessor & nunc Facultatis Phil. Decanus.